



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

29 Maji. 2 Kal. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

S. MARIA, *cujus imaginem semper secum gestabat contra hostes victor, Scriptor tuus, S. Germanus: dignare me laudare te, amare te, in corde gestare te, vincere in te!*

29 Maji. 2 Kal. Junii.

S ANCTE Andrea de Chio, castissime, & planè MARIANE Martyr, quem febrientem sanavit MARIA: qui totâ novem dierum carnificinâ, pro Christo, flagellis, uncis vexatus, carne ad ossa usque exutus, nil in ore sæpiùs habuisti, quàm, MARIA, *juva me, juva me, MARIA Virgo!* nullo intercâ signo doloris edito. Postcâ integrè divinitus perforatus, gladio percussus es. Per hos ego te dolorum tuorum agones, & per tuam, ac meam, Deiparam Virginem rogo, adsis mihi inter dolores agonis mei, mortis meæ. MARIA Virgo, *juva me; juva me, MARIA Virgo!* Amen.

S. Conon, qui unâ cum filio, duodecim annorum puero, craticulæ suppositis prunis impositus, oleo bulliente perfusus, in accensâ fornace, velut in horto, unâ cum filio, inambulâsti; & cum eodem, subjectis flammis, in equuleo suspens-

penfus, contritâ ligneis malleis  
utrâque utriusque manu, uterque  
inter canendum, accinentibus An-  
gelis, spiritum emisistis.

Sancti Sisini, Martyri, & Ale-  
xander, Martyres.

S. Restitute M.

S. Theodosia, mater S. Procopii  
Martyris, unâ cum duodecim aliis  
matronis nobilibus, Martyr.

Omnes sancti mille quingenti  
viginti quinque Martyres in Um-  
bria.

S. Maximine Episc. qui longâ  
febri, ad mortem usque, confecto  
Carolo Principi apparens, illum à  
mortis periculo, ac morbo liberâsti:  
ad cuius sepulchrum, præter ægros  
sanatos, uno die, tredecim obsessi,  
alio viginti duo, alio quinquagin-  
ta septem, à dæmonibus sunt libe-  
rati: qui in mari periclitantibus,  
solis instar, splendens, & super ma-  
re ambulans, apparuisti, & mare  
tranquillâsti. libera me à morbis,  
à doloribus, à dæmonum infidiis,  
à naufragio abyssi, ac fluctuum æ-  
ternorum.

S. Maxime Ep.

S. Gaudenti Ep. principe stirpe  
nate, Hungarorum Apostole, S.  
Adalberti comes.

Ec 4

S. Eleu-

S. Eleutheri Conf.

OMNES SANCTI, &amp;c.

pag. 320.

S. MARIA, *cujus ardentium festum, & cerei mirabilis, à te, contra pestem, dati, memoria hoc die celebratur Atrebatum: fac me unum è numero tuorum ardentium. Tu sis mihi pro ardente, ac illuminante me cereo, in horâ mortis meae!*

S. MARIA, *cujus miraculorum festum celebrat hodie devota tibi S. Benedicti familia. Gratias ago Deo pro omnibus, quæ per te patravit, miraculis! Fac, ut etiam ego experiar admirabilem opem tuam, in horâ mortis meae, ô Mater admirabilis!*

30 Maji. 3. Kal. Junii.

SANCTE Isaaci, qui in dumeta abjectus, inde à tribus Cælitibus sublatus, iterum Valenti Imperatori veritatem invito dixisti, & mortem verus vates prædixisti; cui morienti cæli portas aperuit Deus. Hæreo hîc ego; neque scio, quando ex his vitæ dumetis eripiar. Adesto tunc mihi, ad portas mortis; ut sicut hîc, tibi oranti, quoties libuit, portæ Urbis patuerunt; ita mihi morienti, per tuas, & Sancto-